



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Pontificum Romanorum

Ex Antiquis Monumentis Collectae

Sandini, Antonio

Bambergae, 1753

CLIV. Stephanus IX. Anno Christi 1057. Henrici IV. Regis 2. Isaaci Comneni
1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65464](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65464)

Suscepto enim itinere in Hetruriam, Florentiæ, seu in alio Hetruriæ loco anno 1057. V. Kal. Augusti extremum vitæ spiritum edidit, cum annum Pontificatûs alterum, mensem tertium & diem decimum quintum implevisset. (2)

ANNOTATIONES.

(1) Leo Ostiensis lib. 2. Chron. Casin. cap. 89. tom. 4. Script. Rer. Italic. pag. 403.

(2) *Defunctum Florentiæ, ibique sepultum*, dicit Baronius ad an. 1057. §. 9.

CLIV.

STEPHANUS IX.

ANNO CHRISTI 1057.

HENRICI IV. REGIS 2. ISAACI COMNENI I.

STEPHANUM IX. Gozzelonis Ducis Lotharingiæ filium, qui *Federicus* antea dicebatur, Casinensem Abbatem & Cardinalem Presbyterum, Romam ex Hetruria paulò ante reversum, IV. Nonas Augusti anno 1057. Romani uno omnes consilio, ac voluntate concordi, per vim ex hospitio eductum in Basilicam S. Petri ad vincula trahunt. eliguntque in Pontificem, ac postridie Cardinalibus om-

Bar. an.
1057 §. 10
11. 12. 13.
Pag. §. 2. 3

P P

ni-

nibus cum Clero, populóque ad eum confluentibus, in Vaticano ingentium cunctorum lætitiã consecrant. (1) Quatuor menses in Urbe moratus, Ecclesiasticæ disciplinæ regendæ intentus, novis constitutionibus Clericorum conjugia, nuptiásque consanguineorum interdixit. Pridie Kal. Decembris Casinum profectus, Desiderii monachi lectionem in Abbatem ratam habuit, ita tamen, ut se vivo Abbas designatus esset, mortuo tantum succederet, eundemque Legatum Constantinopolim misit ad Ecclesiam Constantinopolitanam Romanæ consociandam. Ubi Romam rediit, S. Petrum Damiani Episcopum Ostiensem, & Cardinalem creavit invitum recusantemque. Eodem tempore Hildebrandum Subdiac-

Bar. an.
1058. § 1.
4. 6. 10.
Pag. §. 1. 6

num legavit ad Agnetem Augustam Henrici IV. Germaniæ Regis matrem, & communi Episcoporum, Cleri, populique Romani consensu statuit, ut si ante reversionem ejus sibi mori contigisset, in ejusdem usque adventum comitia Pontificia protraherentur. Cujus decreti nulla ratio est habita, Cum enim haud multo

post

post mense Pontificatus septimo ac die
septimo supra vigesimum, IV. Kal. A-
prilis anno 1058. Florentiæ obiisset,
ubi etiam digno satis est honore sepultus,
(2) statim Joannem Mincium Episco-
pum Veliternum in ejus locum suffe-
cerunt, qui *Benedicti X.* nomine men-
ses novem & dies viginti Pontificatum
usurpavit. (3)

ANNOTATIONES.

(1) Leo Ostiensis lib. 2. Chron. Casin. cap. 97.

Idem cap. 98. & lib. 3. cap. 9 dicit Step-
hanum IX. perseverasse Abbatem esse Præfe-
ctumque Cœnobii Casinensis ad mortem
usque.

Petrus Diaconus de viris illustribus Casi-
nensibus cap. 17 Tom. 6. Scriptor. Rer. Italic.
pag. 30. Scripsit Stephanus IX. librum de
*Corpore Domini, in quo omnia quæ Græ-
ci adversus Latinorum Sacrificium dela-
trabant, destruxit. Alium etiam librum
de eadem re edidit adversus quendam
Monachum Constantinopolitanum, scilicet
Nicetam Pectoratum.*

(2) Leo Ostiensis lib. 2. Chron. Casin.
cap. 100.

(3) Quamvis nullum hic inter Pontifices
legitimos locum habeat dicendus tamen Be-
nedictus X. Nam Benedictus, qui initio Sæ-
culi XIV. factus est Pontifex, Benedictus XI.
appellari voluit. Itaque falluntur, qui Leo-
nem VIII. verum Pontificem existimant.

quòd Leo, qui cum postea secutus est, Leonem se IX. non VIII. nominaverit,

CLV.

NICOLAUS II.

ANNO CHRISTI 1058.

HENRICI IV. REGIS 4. CONST.

DUCÆ I.

NICOLAUS II. cui *Gerardo* antea nomen Burgundus, Episcopus Florentinus, Romanorum consensu universæ Ecclesiæ administranda an. 1058. §. 15. Pag. §. 7. Bar. an. 1059 §. 1. 2. 1. 23 33. 43 68 Pag. §. 1. 2. 4. 11. ab Hildebrando, qui in Italiam rediens, audito, comitia contra Stephani IX decretum habita fuisse, Florentie substiterat. (1) Eodem mense Januario anni insequentis Romam deductum Clerus populúsque Romanus in Petri sede collocârunt. Tum Benedictus X. in Concilio Sutрино jam gradu dejectus, veniam petiturus accessit. Nicolaus submittentem se ad pedes, atque errati pœnitentem ad laicam communionem admisit. (2) Nihil exinde egit intentiore curâ, quàm ut *Simoniacos*, qui interdicta sacrorum commercia, & *Nicolaitas*, qui prohibita Clericorum connubia defen-